GAII
INSTITVTIONVM

COMMENTARII QVATTVOR

CODICIS VERONENSIS DENVO COLLATI
APOGRAPHVM CONFECIT

ET

IVSSV ACADEMIAE REGIAE SCIENTIARVM BEROLINENSIS

EDIDIT

GVILELMVS STVDEMVND

ACCEDIT PAGINA CODICIS VERONENSIS PHOTOGRAPHICE EFFICTA

PROSTAT
LIPSIAE APVD SALOMONEM HIRZEL

A. MDCCCLXXIV.

SVMME · REVERENDO

CAPITVLO

ECCLESIAE · EPISCOPALIS · VERONENSIS

S ·

PROOEMIVM

GVILELMI STVDEMVND.

Adhuc curaui unum hoc quidem, ut mi esset fides.

Codex bibliothecae capituli Veronensis olim numero XV nunc 13 signatus membranaceus forma quadrata foliorum 127 S. Hieronymi epistulas et polemica saeculo octauo exarata continet[a]. Qui cum neglegenter a Vallarsio inspectus esset, priusquam scriptura passim euanida facta nouis remediis chemicis temptaretur, a me et a Rudolfo Schoell cum editione Vallarsiana diligenter collatus est anno 1867; uariantes quas inde descripsimus lectiones exhibebit noua editio Hieronymi, quam consilio et auctoritate academiae litterarum Caesareae Vindobonensis parat Augustus Reifferscheid.

Ex his 127 foliis ter scripta sunt folia 60, 62—68, 71, 73—80, 113—117, 119, 120, 122—125; item folia recta 81 et 126; item folium uersum 72; item denique folii 81ᵘ uersus 1—13 et folii 118ᵘ uersus 14. 15. 22. 23. 24. Reliqua folia bis scripta sunt praeter folium primum (1) et ultimum (127), quae neque inter se cohaerent neque cum alio folio ullo[b]. Latet igitur in foliis ter scriptis, quibus quarta fere codicis pars efficitur, duplex scriptura: altera saeculi quinti antiquissima, altera supra hanc et infra nouissimam collocata

a) De quibus accurate egit A. Reifferscheid in bibliothecae patrum Latinorum Italicae uol. I pag. 69—75; conf. eiusdem uiri doctissimi de Latinorum codicum subscriptionibus commentariolum (Vratislau. a. 1872) pag. 5.

b) Singulos foliorum fasciculos haec Goescheni tabula demonstrat, in qua foliorum inter se cohaerentium numeri interposita lineola copulantur: I. 2—9 3—8 4—7 5—6 II. 10—17 11—16 12—15 13—14 III. 18—25 19—24 20—23 21—22 IV. 26—33 27—32 28—31 29—30 V. 34—41 35—40 36—39 37—38 VI. 42—49 43—48 44—47 45—46 VII. 50—57 51—56 52—55 53—54 VIII. 58—65 59 60—64 61 62—63 IX. 66—73 67—72 68—71 69—70 X. 74—81 75—80 76—79 77—78 XI. 82—89 83—88 84—87 85—86 XII. 90—95 91—94 92—93 96 XIII. 97—104 98—103 99—102 100—101 XIV. 105—112 106—111 107—110 108—109 XV. 113—120 114—119 115—118 116—117 XVI. 121—126 122—125 123—124.

recentior saeculi octaui. In foliis bis scriptis sub nouissima scriptura latet antiquissima illa, quam saeculum quintum referre dixi[a]. Haec Gaii institutiones continet, illa et ipsa partem eorum librorum Hieronymi exhibet, qui eodem saeculo paulo post ab alio librario, cuius manum nouissimam appellaui, iterum ex eodem archetypo descripti sunt[b]. Quae autem fragmenta Hieronymi in foliis ter scriptis sub nouissima scriptura lateant, academia Caesarea Vindobonensis olim publici iuris faciet eius enim iussu et trahente opportunitate, ut omnes officii partes exequerer, haec uetustatis sanctitate commendata fragmenta primus anno 1867 accuratissime descripsi; antea Hieronymus prae Gaio neglectus iacebat.

Nec mirum quod hoc modo pristinus foliorum ordo prorsus immutatus est nec pauca folia inuersa sunt[c]: solebat enim librariorum arbitrium in pristinum ordinem quam maxime grassari.

G a i i institutiones quomodo ex his Hieronymianae scripturae tamquam

[a] Folii 2' uersus 10—21 a nouissima scriptura uacant.

[b] De ea re hanc coniecturam protulit Goeschen »Membranae codice XIII comprehensae, praeter primum et ultimum folium, antiquitus juridici argumenti volumine continebantur Procedente vero tempore librarius aliquis, qui transcribendi quaedam S. Hieronymi scripta consilium ceperat, novarum atque integrarum membranarum copia destitutus, vetere illo libro potitus, membranas, quae nunc codicem XIII. efficiunt, ita tractavit, ut eas ad rescribendum idoneas redderet; deinde nonnullis rescriptis, novum, quod molitus erat, opus imperfectum reliquit. Postea tamen de exarando S. Hieronymi exemplo iterum cogitatum est: adhibitaeque sunt praeter eas, quae ante vacuae relictae erant, codicis plagulas, rescriptae quoque, nunc recentiore, ut olim antiquiore, scriptura deleta: nam quae iam placebat novi libri ratio, ab ea fortasse, quae ante placuerat, differebat; denique prius illud, quod imperfectum manserat, exemplum alia manu scriptum erat. Ceterum moneo Hieronymi epistulas propter amplitudinem saepius particulatim descriptas esse. Media scriptura quattuor quaterniones occupantur.

[c] Subiecta Goescheni tabula eum, qui nunc est, foliorum ordinem cum pristina paginarum serie componit: ille numeris maioribus, haec minoribus significatur; folia inuersa asterisco notata sunt: 2 39,40 3 113,114 4 17,18 5* 107,108 6* 97,98 7 31,32 8 123,124 9 11 12 10 161,162 11 33,34 12 99,100 13 115,116 14 121,122 15 105,106 16 47,48 17 167,168 18 171,172 19 95 96 20 149,150 21 103,104 22 101,102 23 117,118 24 109,110 25 157 158 26 165,166 27* 3,4 28 61,62 29 21,22 30 27,28 31 51,52 32* 13,14 33 163,164 34 177,178 35 65,66 36 173,174 37 83,84 38 89 90 39 187,188 40 79,80 41 183,184 42 251,252 43* 175,176 44 207,208 45* 179,180 46* 181,182 47 213 214 48* 185,186 49 237,238 50 1,2 51 203,204 52 189,190 53 9,10 54 7,8 55 201,202 56 217,218 57 15,16 58* 29,30 59* 93,94 60 153,154 61* 139,140 62 57,58 63 55,56 64 143,144 65* 19 20 66 205,206 67 43,44 68 211,212 69 81 82 70 91,92 71 209,210 72 37,38 73 245,246 74 215,216 75 5,6 76 127,128 77* 199,200 78* 191,192 79 137,138 80 41,42 81 243,244 82 231,232 83 227,228 84 49,50 85 69,70 86 75,76 87 63,64 88 225,226 89 221,222 90 73,74 91 141,142 92 239,240 93 249,250 94 155,156 95 71,72 96* 195,196 97 145,146 98 119,120 99 77 78 100 111,112 101 125,126 102 67,68 103 147,148 104 151,152 105 223,224 106 129,130 107 193,194 108 25 26 109 23,24 110 197,198 111 135,136 112 229,230 113 247 248 114 45 46 115 159,160 116* 59,60 117* 53,54 118 169,170 119 35,36 120 241 242 121 131,132 122 233,234 123 87 88 124 85,86 125 219,220 126 133,134

inuolucris in lucem protractae sint, ut ipsius Ioannis Friderici Ludouici Goeschen uerbis referam, pietas suadet. Itaque quae secuntur, sunt tota Goescheni[a]:

»Bibliotheca Capitularis Veronensis, librorum manuscriptorum copia at»que praestantia celebris, maxime membranis, quae juridici argumenti sunt, »excellit. Inter quas primum fere locum ... obtinent ... hae:

»1. Codex membranaceus rescriptus, olim XV., nunc XIII., quo sub qui»busdam S. Hieronymi scriptis genuinae Gaji Institutiones continentur.

»2. Folium singulare membranaceum, in quo de praescriptionum et inter»dictorum jure exponitur, ipsum quoque ad genuinas Gaji Institutiones »pertinens[b].

»3. Folia membranacea duo, ... incerti auctoris fragmentum, quod in jure »fisci declarando versatur[c].

»Folia, quae sub numeris 2. et 3. recensui, parvulo insunt volumini[d], »varii argumenti fragmenta complexo, cui titulus inscriptus legitur hic: »‚Vetera Paralipomena Mss. Codicum Capituli Veronensis, a Ioanne »Iacobo de Dionysiis Veronensi canonico in unum collecta. 1758.‘

[a]) Excerpsi et haec et reliqua, quae in hoc prooemio Goescheno uindicaui, ex praefatione Goescheni primae editioni (Berolini a. 1820) praemissa; pauca tacitus correxi duce fere ubique ipso Goescheno in editione II[a].

[b]) Hoc folium (Gai. inst. IIII. 134—144 = pag. 235. 236) ut potuit delineauit Ignatius Comes Beuilacqua Lazise eiusque imaginem lithographi arte exceptam una cum specimine nouissimae scripturae, qua Hieronymi epistulae exaratae sunt, primae editioni addidit Goeschen. Quod simulacrum cum penicillo conficeretur, in summa litterarum uarietate bona cum malis confusa sunt. Itaque abiecta incerta admodum huius adumbrationis fide photographi Veronensis artem anno 1868 sollicitaui, qui scripturae folii illius uersi imaginem sollerter excepit. Quo exemplo ornatam magis quam oneratam uideri hanc editionem cupio.

[c]) Has laceras membranarum lacinias optime delineatas editioni fragmenti de iure fisci adiecit Paulus Krueger Lipsiae a. 1868. Idem in praefatione diligenter de membranarum condicione egit.

[d]) Nuper haec tria folia e uetere compage soluta uitroque inclusa sunt. Ceterum antiquitus quoque haec fragmenta alii codici praefixa fuisse Kruegero (conf. l. l. pag. 6 not. 4), qui omne tunc studium atque omne ingenium contulit ad ueteris iuris fontes cum codicibus conferendos, anno 1868 persuasi; cui tum haec scripsi: ‚Praefixa olim saeculo VIII fuisse duo illa folia, quae fragmentum de iure fisci continent, alii codici, qui opus aliquod S. Hieronymi continuerit, conicio; leguntur enim in folii alterius pagina recta (us. 24) partim supra ipsum fragmenti contextum minio a manu saeculi VIII exaratae hae litterae inhierm i. e. in Hieronymum; cumque huius rubricatoris manus si non eadem saltem coaeua ei esse uideatur, cui textus Hieronymianus debetur quo Gaianae institutiones rescriptae sunt, et haec duo folia et simul folium illud Gaianum non palimpsestum tegumento libri Veronensis XV (13) olim conglutinata adhaesisse opinor, cum praesertim istarum membranarum forma, qualis saeculo VIII fuisse uidetur, ad Gaianorum foliorum formam proxime accedat.‘

»dam, quo pacto in publicum emerserit harum membranarum notitia, »exponendum est[1].

»Vtriusque, de quo dixi, fragmenti, tam ejus, quod de praescriptionum »et interdictorum, quam ejus, quod de fisci jure agit, primus meminit, mag»num illud Italiae decus, Scipio Maffei. Hunc enim in codicum Capitu»larium manu exaratorum indice, quem suae Veronensis civitatis descriptioni »inseruit, cum scriberet: ‚Più carte lacere e sciolte d'antico majuscolo, una »delle quali par fosse d'un codice delle Pandette, ed altra d'un' opera d'antico »Giurisconsulto: quai codici se si fossero conservati, niente si ha in tal »genere, che lor si potesse paragonare'[2], ad nostra fragmenta respexisse »constat. Neque tamen in eo substitit Maffeius. Nam in Opusculis suis »ecclesiasticis[3], ubi codicum Capitularium thesaurum diligentius recenset, pri»mum quidem, pag. 61., brevi hac annotatione fragmenta nostra significat: »‚Carte lacere da un codice delle Pandette, o d'antico Giurisconsulto:' deinde »vero, p. 90., plenius ea persequitur ita: ‚Legum mentio chartarum frusta »quaedam mihi in memoriam revocat a vetustissimo codice olim decisa, in »quo antiqui Iurisconsulti interpretatio habebatur, aut compendium quoddam »Iustiniani Institutionum. Haec verba, velut ex horreo incenso grana, aucu»patus sum. Libri quarti XV titulum statim agnosces'. Quae sequuntur, »fragmenti de praescriptionum et interdictorum jure satis amplam partem, a »verbis *Superest, ut de interdictis dispiciamus,* quae pag. 1. lin. 19. leguntur, »usque ad verba *quorum bonorum*, quae pag. 2. lin. 22. continentur, exhibent. »Post quae ita pergit Maffeius: ‚In pagella altera *ancilla Caesaris, quae »liberos habuit*'. Haec verba ex altero illo fragmento de jure fisci deprompta »sunt, ubi in folii posterioris columna prima lin. 23. et 24. leguntur. Quae

[1] »Conf. Zeitschrift für geschichtliche Rechtswissenschaft, herausgegeben von »F. C. v Savigny, C. F. Eichhorn und I. F. L. Goeschen. Dritter Band. Berlin »1817. pag. 129. sq. — Abhandlungen der historisch-philologischen Klasse der Königlich-»Preussischen Akademie der Wissenschaften aus den Jahren 1816—1817. Berlin 1819. pag. »307. sq. — Göttingische gelehrte Anzeigen. 1816. pag. 2009. sq.; 1817. pag. 601. sq. et »pag. 1056.; 1818. pag 17. sq. et pag 1819. sq. — Leipziger Literatur-Zeitung. 1816. pag. »2529. sq., 1817. pag. 2641. sq. — Ignazio Conte Bevilacqua Lazise Notizia »d'alcuni Frammenti di antica Giurisprudenza Romana scoperti nell' anno MDCCCXVII »fra i Codici della Biblioteca del Capitolo Canonicale in Verona. Vicenza da Bartolomeo »Paroni 1817. 8. — Thémis ou Bibliothèque du Jurisconsulte. Tome premier. Troisième »Livraison Paris 1820. pag 288. sq

[2] »Verona illustrata Parte terza. Verona. 1732. 8. cap. 7. pag. 464

[3] »Istoria Teologica delle dottrine e delle opinioni corse ne' cinque primi secoli della »Chiesa in proposito della divina Grazia, del libero arbitrio, e della Predestinazione. Si »aggiungono alcuni Opuscoli Ecclesiastici dell' Autor medesimo con importanti Anecdoti »in membrane antichissime rinvenuti Trento. 1712. fol.

»vero adjicit Maffeius: ,et in alia: *secundum naturalem significationem* »*verum esse debet*' etc., ea iterum ad fragmentum de praescriptionum et »interdictorum jure referenda sunt. ... Eodem denique pertinet scripturae speci»men, quod in secunda tabula, quae Opusculis ecclesiasticis jungitur, sub »numero X. aeri incisum conspicitur, repraesentans illud paginae 2. lineas »5—9. a verbis *unde omnia interdicta* usque ad verba *editis formulis*. Cujus »speciminis postea partem aliquam (pag. 2. vers. 5—7.) iterum aeri incisam, »atque etiam typis, licet minus accurate, exscriptam Novi tractatus de re »diplomatica auctores exhibuerunt [4].

»Quod ad codicem XIII. attinet, multo tardius evenit, ut juridicum ejus »argumentum innotesceret; quippe quod occultum manserit ad novissima us»que tempora. Quamquam codicem ex palimpsestorum numero esse, Maffe»ium minime fugerat: cujus rei testis est librorum manuscriptorum catalogus, »qui in Bibliotheca Capitulari asservatur, manu exaratus, a Maffeio com»positus, post hujus autem obitum a doctissimo Antonio Masotti recogni»tus [5]; in eo enim de codice nostro inter alia leguntur haec: ,Multae ex »chartis codicem alium constituerant, dilutis siquidem anterioribus literis ac »deletis, quae nunc cernuntur superinductae sunt, quod et in aliis codicibus »animadverti pluries, primae scripturae satis se prodente vestigio, ac si an»tiquitus adeo infrequentes occurrerent ovinae pelles, ut nisi alterius interitu »novus liber oriri non posset' [6]. Itaque, codicem XIII. rescriptum esse, ne»que Maffeius ignoravit, neque Masottius, quamquam hanc notitiam typis »vulgare supersederunt ambo; quale autem esset deletae scripturae argumen»tum, id vel ipsos latuit.

»Nulla igitur de singularibus codicis XIII. dotibus apud viros doctos erat »suspicio. Quae vero de reliquis illis, quarum mentionem habuimus, mem»branis publici juris fecerat Maffeius, ea, in Germania saltem, oblivio fere »deleverat; ita ut Celeberrimus Hauboldus, cujus ingentem eruditionem nihil »fere solet fugere, memoriam eorum peculiari programmate [7] renovandi optimo »jure consilium caperet. In quo libello elaborando cum adhuc occupatus esset, »nova atque inopinata accessione aucta est Veronensium membranarum cogni-

4) »Nouveau Traité de diplomatique. Tome troisième. Paris. 1757. pag. 208. Tab. 46.

5) »Constat duobus voluminibus in fol. Titulus sic habet: Scipionis Maffei Bi»blioth. Manuscripta Capitularis recognita digesta suppleta sub auspiciis Amplissimi Capituli »ab Ant. Masotti Biblioth. Veronae MDCCLXXXVIII.

6) »Locum hunc exhibet Vol. I. pag. 62.

7) »Notitia Fragmenti Veronensis de Interdictis. Auctore Christiano Gottlieb »Hauboldo. Lipsiae. 1816. (In Hauboldi opusculis academicis, uol. II. Lips. 1829. 8⁰. p. 327—346.)

tio. Quam Illustrissimi Niebuhrii, in quo splendidum ingenium, an incomparabilem doctrinam magis admireris, nescias, immortali debemus merito. Is enim anno 1816. ab Augustissimo Borussorum Rege Romam missus, ut ibi Regii ad Sedem Apostolicam Legati locum occuparet, in transitu Bibliothecam Capitularem Veronensem lustravit: cumque in codicem XIII. incidisset, non modo, antiquissima scriptura veteris alicujus Iurisconsulti opus contineri, statim animadvertit; sed, gallae infuso adhibito, in folio 97. deletae scripturae ductus tam prospero successu restituit, ut ejus transcribendi facultatem nancisceretur. Praeterea fragmenti de praescriptionum et interdictorum jure, quod genuinis Gaji Institutionibus adjudicare non dubitavit, plenius atque accuratius exemplum composuit, quam quod olim typis vulgaverat Maffeius. Tandem ejus quoque fragmenti, quod ad tractatum de jure fisci pertinet, transcribendi fecit periculum: et licet temporis angustiis impediretur, quominus harum membranarum, quarum pessima est condicio, accuratum exemplum absolveret, magni tamen aestimandum erat vel minus absolutum earum apographum; omni enim antea destituebamur certa atque definita hujus fragmenti notitia. Quae omnia biduo, eoque ne integro quidem, Niebuhrium perfecisse, ei, qui difficultatum in ejusmodi rebus superandarum gnarus est, incredibile videri possit. Operae fructum Niebuhrius cum Illustrissimo Savinio communicavit. Qui, ut typis mandarentur, quae Niebuhrius transcripserat, sedulo curavit[8]. Propria praeterea eaque, ut solet, doctissima atque acutissima adjunxit commentaria, in quibus, ut alia multa, ita hanc quoque conjecturam in medium protulit, antiquum codicis XIII. contextum ex genuinis Gaji Institutionibus repetitum esse, fragmentumque de praescriptionum et interdictorum jure hujus codicis aliquando fuisse partem[9]. Quae cum mox per universam Germaniam vulgarentur, tanta exorta est doctorum virorum de codicibus Veronensibus expectatio, tantumque imprimis codicem XIII. penitius cognoscendi desiderium, ut Academia Scientiarum Regia Borussica viros duos Veronam mittere constitueret, qui, quod incepisset Niebuhrius, quantum fieri posset, perficerent. Idque negotium Celeberrimo Bekkero, philologo primario, Academiae socio, mihique datum est. Itaque mense Majo anni 1817. Berolino profecti sub mensis finem Veronam venimus. Cum tamen ea sit Bibliothecae Capitularis legibus instituta ratio, primum ut codicis alicujus domum auferendi nemini unquam venia detur; deinde ut Bibliothecae scrinia publicis usibus unam tantum singulis diebus horam patere

[8] Vid. Zeitschr. f. gesch. Rechtsw. III. p. 140—146. 150—158. 165—168.

[9] Vid. Zeitschr. f. gesch. Rechtsw. III. p. 172.

»soleant: illud nobis ante omnia curandum erat, ut diutius in Bibliotheca »commorandi facultatem nancisceremur. Praeterea eam esse codicis XIII. »condicionem statim intelligebamus, ut in eo enucleando, nisi chemicis reme- »diis adhibitis, frustra operam consumpturi essemus. Igitur ut gallae infuso, »quod nobis quidem omnium remediorum unum se probavit, uti liceret, a »Reverendissimo Capitulo venia petenda erat. Qua re effectum est, ut a »medio demum Iunio ex voto nobis procederet suscepti mandati executio, »quae, cum aliqua tamen intermissione, ad medium fere Octobrem occupatos »nos tenuit. Bekkerus quidem, ut alia eaque gravissima litterata negotia »ab Academia Regia sibi commissa expediret, jam exeunte mense Iulio »Mediolanum se contulerat; neque tamen solum me reliquerat. Clarissimus »enim Hollwegius, Vniversitatis litterariae Berolinensis, ubi jam egregie »Professoris partes sustinet, eo tempore alumnus, cum difficultatum, quas »haberet codicis XIII. explicatio, fama ad eum perlata esset, litterarum amore »ductus, sua sponte operam suam oblaturus ad nos venerat: cujus industriae »atque sollertiae quantum debeam, dicere vix possum. Iam vero ut, quae »praestiterimus, breviter demonstrem, primum ea, quae Niebuhrius con- »fecerat, exempla diligenter et recognovimus et supplevimus: deinde ea, qui- »bus juridicum codicis XIII. argumentum comprehenditur, quaeque prorsus »incognita erant antea, pleraque omnia transcripsimus; ut, quae inexplicata »nobis relinquenda fuerint, vix nonam totius codicis partem efficiant: denique »illam, quam supra significavi, Savinii conjecturam verissimam invenimus ... »Neque vero, cum prosperum hunc cogito eventum, temperare mihi possum, »quin grata mente nominem Viros Amplissimos atque Generosissimos, Comi- »tem de Goes, Supremum totius Venetae provinciae Praesidem, Liberumque »Baronem de Lederer, Veronensi regioni Praefectum, qui summo studio »nos adjuverunt. Multum porro amicitiae debemus tum Celeberrimi Iosephi »Zamboni, physici insignis, tum Illustrissimi Comitis Ignatii Bevilacqua »Lazise, litterarum non fautoris modo, sed etiam cultoris. Hic vel post- »quam Verona abieramus, incepti nostri studiosissimum se praestitit; quippe »qui ejus notitiam eleganti libello cum popularibus suis communicaverit[10], »et tam fragmenti de praescriptionum et interdictorum jure, quam loci alicujus »ex S. Hieronymi epistolis, qui extat in codice XIII., sua manu exaraverit »imaginem nostro usui destinatam, qua singuli quique archetypi ductus ac- »curatissime exprimuntur. Cum autem a Reverendissimi Capituli decretis »potissimum penderet suscepti operis eventus, illud nobis omnium maxime

10) »Vid. supra not. 1.

»exoptatum contigit, quod Reverendissimi Domini Marchionis Dionysii »Caroli Dionisi, Sedis Episcopalis Vicarii Generalis, et Reverendissimi »Domini Comitis Bartholomaei Guarienti, Bibliothecae Capitularis Antistitis, Virorum omnibus humanitatis dotibus insignium, benivolentiam nobis conciliavimus. Tanta imprimis excellentissimi Comitis Guarienti erga nos »fuit comitas, tantaque liberalitas, ut nulla, qua consilia nostra promotum »iri sentiebat, molestia gravari videretur.

»Bekkerus illis, quae supra tetigi, Academiae Regiae mandatis diutius in Italia detinebatur[a]; mihi vero cum Hollwegio reverso, postquam in Academiae consessu de itinere rettuli, Gaji Institutiones Fragmentumque de Iure Fisci edendi munus injunctum est. etc.«

Et profecto laudabiliter satisfecit Goeschen primi editoris muneri. Multa enim quae nunc facillima intellectu uideantur, difficillima fuisse inuestigatu schedae illae demonstrant, quae a Goescheno Bekkero Bethmann-Hollwegio Veronae confectae et a Goescheno mox descriptae sunt[b]. Quem cum Bekker et Hollweg, qui comites ei erant illo tempore et laboris socii, praesentes ita adiuuissent, ut quis quoque loco lectiones uel oculis inuenisset primus uel iudicio expendisset, dici nequiret, in suum cuique tribuendo accuratus esse non potui. Itaque ubi lectiones in schedis illis propositas ipse propter membranae tabem neque confirmare poteram neque refutare, Goescheno iuris ciuilis inprimis perito et Bekkeriana et Hollwegiana[c], adiudicaui. Ea omnia, quae ex his schedis in contextum recepi, hoc parenthesis signo ⌐ ¬ circumscripsi: uelut pag. 35, 23 hoc signum indicat ICI × ⌐ × × CSINION × CIC × × λTEPλIIII × CSS × ICCIλ⌐ litteras a me ipso dispici non potuisse sed solis schedis Goescheni deberi[d]. Eas litteras, quae in his ipsis interrogationis signo notatae sunt, punctis adumbraui: uelut 35, 23 ⌐ indicat in

[a] Conf. quae Ernestus Immanuel Bekker iurisconsultus Immanuelis philologi filius de ea re rettulit in annal. Boruss. XXIX pag. 23 seq.

[b] Conf. de his schedis, quae nunc una cum schedis Bluhmianis et cum apographo fragmenti de iure fisci in bibliotheca regia Berolinensi msc. lat. fol 308 adseruantur, Bethmann-Hollweg in »Zeitschrift für Rechtsgeschichte« uol. V pag. 362 sqq. Memoria inprimis digna sunt quae pag. 365 docentur: »Wenn die Göschen'schen Scheden die Grösse einer Lücke durch eine Reihe von Sternchen angeben (conf. e. g. pag. 35 uers. 23), so bezeichnen diese nicht ganze Buchstaben, sondern einzelne Striche, deren jeder Einen Buchstaben, z. B. ı, aber auch zwei Einen z. B. ein ɴ oder u und drei z. B. ein m bilden konnen.«

[c] In una pag. 30, quam solum Hollwegium legisse Goeschen adnotauit, illi suum tribuere potui.

[d] Pro his ipsis litteris quid Bluhme dispexisse sibi uisus sit, docet nota huic uersui a me subscripta, in qua | lineola significat uersus finem Bluhmio apparuisse.

schedis extare Ȯ; item punctis adumbratas reddidi eas litteras, pro quibus aliam quoque legi posse superscripta litterula ‚cursiua' docet: uelut ibidem C̣ˢ in fine uersus indicat C litteram tam incertam uisam esse Goescheno, ut ipse eodem iure S legi posse adnotaret.

Noua tamen libri Veronensis collatione opus esse ipse Goeschen intellexit[a]). Quam ut absolueret, Fridericus Bluhme annis 1821 et 1822 locos difficiliores iterum temptauit[b]) remedio Giobertino[c]) parum feliciter usus. Ad quod remedium quamuis omnes labes, quas codex traxerit, reuocare nefas sit, tamen non paucarum membranarum nitor cum squalore commutatus est; atque etiam nunc modo caerulea modo pulla illuuies e Bluhmianis uenenis residua praecipue in mollioribus[d]) membranarum paginis Gaianam scripturam adeo tegit, ut de lectione prorsus desperandum sit. Neque effugit Bluhme uirorum doctorum reprehensionem et exagitationem; attamen acriter intenta oculorum acie et adiuuante sole aliquot locorum maculatorum lectionem absoluere potui[e]). Adde quod minutae illae schedae Bluhmianae, quae in bibliotheca Berolinensi (msc. lat. fol. 308) adseruantur, imperfectam lectionem tradunt, maxima pars eorum, quae Bluhme expiscatus erat, infelici casu periit, de quo ipse rettulit in »Zeitschrift für Rechtsgeschichte« uol. III (1864) pag. 446 sqq. Quae ex schedis Bluhmianis, quibus ne ipse quidem multum auctoritatis tribuit[f]), in contextum recepi, his uncinis ⌈ ⌋ saepsi: uelut pag. 35, 22 hoc signum indicat ⲘⲖⲚ litteras a me ipso dispici non potuisse sed solis schedis Bluhmii deberi; alia in notis commemoraui; ceterum in reddendis ductibus Bluhmianis eandem rationem secutus sum quam in Goeschenianis. Accidit autem Bluhmio nonnumquam, quod solet fere eis accidere, qui primum ingressuri sunt palimpsestorum lectionem, ut irretitus illecebris

[a]) in praefatione primae editioni praemissa pag. XVII: »Perfecta .... editio repetitam. requirit codicis XIII. collationem«.

[b]) Conf. Bluhmii Iter Italicum I (1824) pag. 261 sq.

[c]) Remedium Giobertinum descripsit Bluhme l. l. IIII (1836) pag. 188. 189; conf. idem in »Zeitschrift für Rechtsgeschichte« uol. III pag. 451.

[d]) In notis, quas contextui subieci, molliores paginas non bene ‚exteriores' uocaui, tenaciores ‚interiores'. Conf. quae de harum differentia exposuit Bluhme in »Zeitschrift für Rechtsgeschichte« uol. III pag. 452.

[e]) Errauit enim A. F. Rudorff (sic statuens in annal. academ. Berolin. 1865/6 pag. 338 sq.), sub illuuie illa nihil omnino dispici posse.

[f]) Bethmann-Hollweg in »Zeitschrift für Rechtsgeschichte« V pag. 366 de his recte ita iudicat: »Was die Bluhme'schen Scheden betrifft, so halte ich das Ergebniss ganzer Sätze und Worte, welche sie enthalten, für ein durchaus gesichertes; die einzelnen Buchstaben oder Zeichen scheinen mir öfter der Handschrift abgezwungen und insofern eine freiere Behandlung zuzulassen.«

fallacium umbrarum, quae ex paginis auersis interlucebant, ea legisse se crederet quae legere cupiebat. Quid autem de ceteris singillatim dicam? Vno eoque luculento et maximo exemplo paginae 5 testor aliquid humani uiro doctissimo aliquotiens accidisse in fragmentis litterarum pronis et supinis describendis.

Quaecumque ex schedis Goescheni et Bluhmii ad crisin Gaianam recte instituendam promi et typis describi poterant, editioni a. 1842 curatae diligenter subiecit Carolus Lachmann.

Tum codicis Veronensis apographum ad Goescheni Hollwegi Bluhmii schedas compositum scripsit lapidibusque exceptam scripturam publicauit Eduardus Böcking (Lipsiae apud Salomonem Hirzelum a. 1866). Qui cum constantia adsiduitate perseuerantia ad memoriam posteritatis insignibus institutam rationem amplexus ac persecutus esset, ut erat in artificio scribendi exercitatissimus, si non imaginem tamen simulacrum libri Veronensis diu impigreque scriptitando effecit, quo quasi rectore et moderatore uterentur uiri docti in crisi Gaiana periclitanda. Atque unica illa diligentia, quam in dubiis litterarum hastis et apicibus imitandis de industria sequebatur, grata nobis acceptaque fuit et bene opitulata est in codice denuo conferendo. Postea dum ipsas triumuirum schedas Berolino ad me delatas denuo totas excutere mihi licet, leuiculos quosdam errores, quos in describendis schedis ne Boeckingii quidem diligentia effugerat, tacitus correxi. Neque enim confirmare argumentis uolui ea quae in codice primus legi neque contraria refutare; breuitatem ego custodiendam esse putaui, cum causa permittere uideretur.

Interim codicem in locis dubiis post Bluhmium denuo inspexerat[a] Iosephus Tedeschi iurisconsultus Veronensis ad nonam Gaii editionem adornandam, quae cum uersione Italica a. 1857 duobus uoluminibus comprehensa prodiit Veronae ex aedibus Mineruae; quam crassa autem Minerua hoc tirocinium palaeographicum uir doctus sustinuerit, ex paucissimis illis lectionibus apparet, quas in adnotationibus protulit; neque igitur discrepantium lectionum Tedeschii ulla ratio habenda est[b].

Neque exigua pars foliorum modo flexibilium et tenerorum modo mollio-

[a] Conf. Instituzioni di Gajus commentarj quattro etc. ed. Tedeschi uol I pag. XXV «Ricorremmo eziandio pei luoghi dubbj all' ispezione del Codice Capitolare, benchè dopo gli studj di tanti uomini insigni che ci precedettero, e nello stato deplorabile in cui questo ora si trova, sarebbe stata in noi temerità presumere di aggiungere gran fatto ai lavori che meravigliati vedemmo con infinita diligenza condotti».

[b] Conf. quae dixi in Actis philolog. Wirceburg. 1868 pag. 122 sq.

rum nec satis uolubilium tam difficilis lectu est, ut id quod conarer ipse saepius desperauerim me consequi posse. Omnino autem si quando tiro in palimpsestum incidas, primo obtutu uerbum prorsus nullum uel millesimam partem uix intellegas: nam ubi culmina apicesque litterarum uideas, non ideo cernis uocabula.

Ipse mense Maio anni 1866 iussu academiae litterarum regiae Borussicae Veronam adii, postquam Gaium saepe ac studiose lectitaui et Mediolani in bibliotheca Ambrosiana nec non Romae in Vaticana complures libros rescriptos legendo percurri. Palimpsesti enim quasi cotes sunt oculorum, qui dum adfixi adhaerent membranis, plus ad dispiciendas litterarum umbras momenti adfert exercitatio quam natura. Sed accedit aliud: oculis enim librorum rescriptorum ductus non percipiuntur nisi recondita quadam ratione ac ui quadam animi diuinante et sentiente; qua quae inuenta et excogitata sunt, confirmata deinceps dignoscuntur oculis. Ita fit, ut oculi sine diuinatione, diuinatio sine oculis nihil proficere possit. Nec raro ubi quae in animo inest praesagitio oculos praestrinxit, denuo inspecto codice dubites, utrum illa uerba an portenta sint, quae olim litterarum uestigia rimans conspicere tibi uisus sis. Deinde lectio pendet ex adcretione et diminutione solis meridiani; quo modo recte modo oblique oblato et nonnumquam limis spectans paetorum modo quo diutius in palimpsestis legendis uersatus eris, eo felicior eris in internoscendis litterarum trabiculis: nam saepius ubi ipsum atramentum fere totum euanuit et ne fortissimis quidem medicamentis adhibitis eminens litterarum effigies resuscitari potest, memoria litterarum deperditarum et adumbrata imago superest tenuibus sulcis in membrana seruata; ui enim calami membrana imprimitur non nimio secus ac cera. Accedit denique quod prompto semper ad diuinandum animo opus est: eo enim ipso temporis momento, quo Phoebus ridet, periclitandae sunt uires ingenii; quodsi aliquamdiu cunctatus eris, amittes discernendi facultatem, si nimis properaueris, non adsequeris; ita fit, ut cum sensim dissuere obscura fragmenta litterarum et componere uel interrupta contexere nequeas, uerendum sit, ne in non nullis haerens, quae certo dispexisse tibi uideare, repente praecidas totius loci intellegendi facultatem.

Sed ut eo reuertar, unde digressus sum: Veronam igitur profectum C a r o l u s c o m e s G i u l i a r i bibliothecae capitularis praefectus, quem ego inprimis amo earumque habeo, insigni ac prorsus unica liberalitate adiuuit, et quod antea petentibus denegatum erat, mihi permisit, ut libri male habiti lectionem denuo experirer. Itaque dum Giuliari ipse magna cum uoluntate se adplicat ad codicum Veronensium descriptionem absoluendam, ego patien-

tiam omni modo colendi et reuerendi capituli temptaui eaque folia denuo contuli, quae lectu faciliora esse uiderentur.

Sed cum mense Iunio anni 1866 intellectum esset coalescere Italorum hominum multitudinem in populi unius corpus nulla re praeterquam armis posse et rumores de bello proxime instante Veronae tenus caluissent, iniquitate temporum motus, quia ornamenta pacis una cum subsidiis belli uix apte parari posse uidebantur, studia aliquamdiu intermisi, intermissa post nouem mensium internallum resumpsi. Per hoc tempus, cum in iure ciuili uix satis instructus essem neque ut tiro in iurisconsultorum familiaritatem intrare auderem, fontes iuris Romani, quos antea summatim obiterque cognitos percursosque habebam, et doctorum inter se dissensiones ac discidia accuratius perlustraui; nam sine notitia rerum nec intellegi quidquam nec inueniri in his rebus posse dudum perspexeram. Tum uere proximo Veronam reuersus eam partem laboris, quam incohatam reliqueram, mensibus aestiuis annorum 1867 et 1868 absolui — nam per brumae tempus propter caeli caliginem laborem inuitus intermisi. Peropportune autem mihi cecidit, quod anno 1867 Theodorus Mommsen, anno 1868 Paulus Krueger per complures uterque menses Veronae in eadem bibliotheca capitulari cognatis studiis operam dederunt et propter me adsidentes consulenti amico qua sunt doctrinae copia numquam non praesto fuerunt. Hi uiri familiarissimi summaeque necessitudinis ac fidei uinculis mecum coniuncti magnum adiumentum adferebant ad meam iuris scientiam amplificandam excolendamque: horum prudentia libidini meae coniectandi moderatrix erat; horum adhortatione celeribusque ingeniorum motibus, quibus telum mihi subministrabatur quo armatus denuo adgrederer locos desperatos, permultum me debere libenter gratoque animo profiteor.

Neque illud hoc loco praetermittendum, quod pertinet ad liberalitatem Giuliarii quanta fuerit intellegendum: qui cum omnia permittere uellet, quae utilitatis aliquid habere posse uiderentur ad peregrinorum studia adiuuanda, et dissuendi codicis et nouis remediis chemicis temptandi quamquam non fuit suasor approbator certe fuit neque quidquam mecum de damnis a Bluhmio illatis expostulauit. Nunc igitur quaterniones commodius soluti et separati et a situ uindicati iacent cistae inclusi et charta satis uestiti saeptique: qui cum olim nimis arte nexi et conglutinati uno uolumine continerentur, cauendum fuit, ne rugosae et tenuissimae membranae ui intensae scinderentur. In remediis autem chemicis adhibendis et parcus fui et cautus, neque quidquam grauius a me commissum esse conscius mihi sum: immo eatenus progressus sum, quoad progredi mihi licere arbitrarer. Nam cum remediorum aliis extenuari aliis inflari aliis uariatam distingui scripturam ideoque aliis

nihil aliis magis me adiuuari facili negotio expertus essem, sicubi ne apricatione quidem quidquam sine nouis remediis dispici posse uidebatur, in ‚exterioribus' paginis kalio sulphurato usus sum, in ‚interioribus' auctore Augusto Guilelmo Hofmann Berolinensi eo remedio, quod in annalibus philol. a. 1868 (pag. 546 not. 1) accuratius descripsi: hoc igitur qui uti uolet, kalii sulphocyanati (aut ammonii sulphocyanati) grana aqua diluat admixtis paucis guttis acidi muriatici. Illud partim luteolum partim liuidulum colorem relinquit, estque dum madet non bene olens sed admodum asperum; hoc dum dilabitur, litterae emergere uidentur pallidulusque earum color quasi laeta et subrubea incrementa capit, ubi exaruit, uestigio nullo relicto pristina caligo ductibus offunditur. Quibus in remediis adhibendis id unum uidendum est ne parum aquae admisceas: quod ubi neglexeris, fragilis et tabescens membrana subita ruina collabetur sustinerique nullo modo poterit sed foedas aget rimas. Quodsi qua pagina nimis tenuis ad tactum uel remediis Bluhmianis nimis maculata esse uidebatur, neque ulla apparebat spes fore ut meis medicamentis litterae Gaianae nudae et uenustae omni Hieronymianae scripturae uelo tamquam ueste detracta recuperarentur, ad Giuliarii uoluntatem me accommodaui, qui uenenis eas solas membranas denuo temptari uoluit, quae adhibendae medicinae uel necessitatem commonerent uel commendarent utilitatem. Neque infitior collationem meam fortasse non omnibus numeris absolutam esse. Quis enim tam stulte arrogans est, ut credat ne speculam quidem esse efficaciora olim medicamenta inuentum iri? Hanc igitur desertarum regionum sterilitatem eis commendo denuo perlustrandam, qui nec molestiarum laborumque diuturnitatem ueriti et nouis fortasse remediis chemicis adiuti in eisdem studiis operam collocabunt. Nec raro — id quod et in eis qui ante me librum Veronensem excusserunt animaduerti et in me ipso saepissime expertus sum — fallaces umbrae forma litterarum indutae, quae uestigiis membranam impressisse uidebantur, quominus genuina lectio dispiceretur, impediebant. Adde quod portenta librariorum modo somniantium modo quasi insanientium uinique adeo, ut uidetur, cupiditati inseruientium saepe ad falsam coniectandi uiam pelliciunt, ut quod oculis uideas, ideo te non uidere tibi persuadeas, quia animo id cernere nolis, ut sane difficile sit in locis desperatis finem conferendi facere.

Ea quae expiscatus sum iurisconsultis minoris quam philologis momenti esse uidebuntur: nam cum in libro quarto institutionum Gaianarum propter membranarum tabem non multa eis quae dudum innotuerunt addi potuerint, oratio Gaiana iam apta et concinna reddita est. Quae cum in eis locis, qui olim recte lecti erant, quamquam plenam urbanitatis uenustatem adsecuta

non est, tamen placido ac prope molli gradu procedat seduloque euitet ea quae obscura aut recondita et a discipulorum intellegentia sensuque longius disiuncta uideantur, philologo ante omnia id explorandum erat, quo iure in locis lacunosis uirorum doctorum coniecturis Gaio modo confusae et perplexae modo tamquam praefractae atque elumbes uerborum structurae modo inani uerborum cumulo exaggeratae sententiae obtrusae essent. Qua quaestione quo diutius occupatus eram, eo certius mihi constabat abhorrere a sedato dicendi genere institutionum Gaianarum et ab hac summissione umbratilis orationis duram illam asperamque nec satis rotundam compositionem, qua nec penitus perspecto nec feliciter recuperato scriptoris consilio uerus sanguis orationis Gaianae deperiret. Neque uero acerbius uituperandi sunt iurisconsulti, qui cum nuper ad Gaii emendationem accederent, non raro rectius sensisse quam felicius correxisse uitia uideantur: immo per mihi mirum uidetur, quod haec aetas philologorum, quasi iuris Romani fere ignara esset aut inuita ad ius discendum declinaret, totum hoc genus dicendi, in quo pauca non pura et quasi candida sunt, prorsus neglexit; attamen Gaii ceterorumque optimae aetatis iurisconsultorum libros plus interesse cuiusuis philologi mediocriter in iure uersati studiis ad litterarum Romanarum scientiam recuperandam quam subinsulsam Africanorum scriptorum latinitatem uel sophistarum rhetorumque fucum, in quibus perscrutandis multi hodie desudent, prudentes existimatores facile concedent. Sane Gaius cum totus delectaretur in docendo, raro tenue argumentandi filum elegantiis artificiisque exornauit ac ne memorabili quidem illo loco (92, 18), ubi *deleuerit* et *obleuerit* formas uicinas esse uoluit [a], immutatione paucarum litterarum uenustates quaesiuisse uidetur. Idem graecos istos flosculos euitauit, quibus ex posterioribus iurisconsultis non pauci doctrinam ostentarunt.

Atque omnino saepius aliorum uirorum doctorum coniecturas reprehendere potui quam corrigere. Saepe enim in palimpsestis ubi quid sit, non dispicis, at quid non sit, dispicis: si ne id quidem, at quantum spatii id occupauerit, uides: supplementa, quae a iurisconsultis in locis lacunosis excogitata sunt, non raro re concinere uerbis discrepare codex me docuit. Itaque in locis desperatis malui nimis incertas, quae passim apparuerunt, litterarum umbras in schedis retinere, ne quid insidiose aut fallaciter proferrem, cuius indicio simulato freti alii praecipites in coniectandi periculum ferrentur.

Postquam igitur diu multumque dubitaui, utrum huius operae fructum supplementis ad Boeckingianum apographum addendis an nouo apographo

[a] Conf. P. Kruegeri »Kritische versuche im gebiete des roemischen rechts« Berolini 1870, pag. 13.

comprehenderem, et illum modum per longum tempus praetuli, tandem in eo quod fere probaueram consilio permanere non potui. Itaque admonitionibus amicorum, quibuscum pauca quae inueneram per sermones uel per litteras communicaueram, obsecutus sum: hi enim postulari a me uel potius flagitari nouum apographum adseuerabant: apographo autem non supplementis ideo opus esse, ne quae ipse laboriose expiscatus essem, a legentibus cum sudore acciperentur. Quibus admonitionibus si non ut plus uiribus ualerem certe ut minus timerem effectum est. Iam ex itinere Italico reduci facto princeps et auctor mihi erat regia academia Borussica ad nouum apographum diuulgandum, quae et ipsa adiutrix mihi extitit ad propulsandas si quae essent difficultates. Quod munus cum ideo mihi impositum esse cognouissem, ne etiam atque etiam dubiis coniecturis immutaretur contextus Gaianus, promisi in meque recepi quam breuissimo tempore Gaium editum iri. Nec profecto tam odiosa procrastinatione distulissem hunc laborem, si mihi ullum tributum esset uacuum tempus et liberum.

Gratiam autem, quantam maximam animus capere potest, debeo regiae academiae Borussicae, cuius iussu in inclita Haerteliorum typographorum Lipsiensium officina ad exemplum singulari photographi artificio exceptum noui typi confecti sunt. Quibus cum media quaedam inter utramque quae in codice deprehenditur manuum[a]) forma exprimenda esset, fere cogitata species et tamquam tractabilis imago eius scripturae effecta est, qua saeculo p. Chr. n. quinto optimi calligraphi uidentur usi esse. Moneo igitur litteras, quibus hoc apographum expressum sit, paulo elegantiores et constantiore forma insignes esse quam eas quibus in ipso codice Gaiano usi sint librarii: has enim modo paululum decliues esse modo accliues et quae typis fidelissime redditae adspectum deformem habiturae sint. Accedit quod in extremis uersibus litterarum formam sensim minuebant librarii; quod cum typographi accurate imitari non potuerint, ad perfectae imitationis laudem aliquantum deesse concedo. An quisquam sanus ea arte prorsus fideliter multiplicem lineamentorum et notarum (uelut 7, Y, 9 etc.) uarietatem exprimi posse credat? Raro litteris in plumbum incisis corrigentis manus imaginem expressam uel saltem adumbratam oculis legentium subieci (uelut pag. 2, 23), attamen ductuum aequalitas dilapsa quasi corruit, ut claudae potius gibberosaeque quam aequales esse litterae uiderentur (uelut 3, 16); itaque alibi Gaianis typis minutioribus usus sum ad correctoris reliquias reddendas.

Foramina hoc signo ( ) descripsi. Pro eis litteris, quarum lectio nimis

[a]) A duobus enim librariis codicem Gaianum scriptum uideri dixi pag. 253.

incerta est, punctis distinctas litteras adhibui;*) quibus ubi alia *cursiua* littera superscripta est, pro ea littera, quae in ipso contextu exhibetur, illa quoque intellegi potest, quae supra lineam extat: uelut pag. 6, 21 $\overset{c}{\text{C}}$ indicat, utrum C an C legendum sit discerni non posse. Punctis distinctae litterae G et Q itemque T et I et Γ difficile a legentibus dignoscentur. — Subscripsi contextui tantum quod satis esset; singula pluribus persequi tum spatii angustiae tum taedium futtilis laboris prohibuerunt: in desperatis autem locis omnia ea addidi, in quibus ulla minima dubitatio esse posset; recte id an temere fecerim, aliis indicandum relinquo. Goescheni et Bluhmii errores, sicubi de errore certo constabat, tacitus correxi. —

Cui saeculo tribuendus sit codex Gaianus, certo dici nequit. Quem tamen ante Iustiniani praeceptum exaratum esse, quo tachygraphorum studia restincta sint, docti et prudentes harum rerum existimatores nolunt. Neque confidentius de libro archetypo, ex quo Veronensis saeculo p. Chr. n. quinto descriptus uidetur esse, iudicium ferri potest: constat tamen archetypum ea aetate exaratum fuisse, qua artis notandi studia laetissime uigerent. Cuius disciplinae quae fuerit ratio, collatis aliis codicibus iurisconsultorum, qui a tachygraphis descripti sunt, et notarum laterculis, quales Theodorus Mommsen edidit, intellegi potest. Compendia scripturae, quibus usi sunt codicis Veronensis librarii, eorumque uarios usus et corruptelas in unum corpus collecta coniunctaque complexus sum indice notarum, quo hanc editionem (pag. 253—312) instruxi. Pauca explicandi causa in archetypo adscripta in codicis Veronensis contextum irrepserunt, quae tamen leuiter adspecta otiosarum et inanium appositionum speciem prae se ferunt (uelut *regula* 14, 12; 157, 11; 162, 9; 196, 21?; conf. 76, 16; 95, 1; 117, 17; 141, 4; 166, 16; 179, 11; 13, 8—9??; 222, 21; conf. etiam 198, 18; 226, 13).

Membranis usi sunt librarii optimis et quae raris fenestris a membranario sartis hiarent (conf. tamen 31—32, 21; 205—206, 19—21; 237—238, 16). Paucae paginae, antequam Gaiana scriptura explerentur, ablutae scripturae uestigia seruarunt: conf. 39, 6, ubi sub Gaiana scriptura alius tachygraphae sed coaeuae manus uestigia apparere adnotaui; conf. etiam quae paginis 214 et 230 subscripsi. Id enim artificium, quo deleta pristina scriptura membranae rescribebantur, antiquitus notum fuit.

Codicis Gaiani membranae olim sedecim fasciculis (quindecim quaternionibus, uno quinione) comprehensae fuerunt. Nunc ex his quattuor folia desiderantur (in fasciculis VI. IX. XIII. XVI), quae a librario Hieronymiano

*) Conf. e. g. pag. 1, 6 med.

desecta esse constat. Quae omnia subiecta Goescheni illustrabit fasciculorum tabula: cruce (†) ei notantur fasciculi, quorum numeri in primo cuiusque folio adhuc extant; cohaerentia inter se folia hac lineola ‿, desecta signo 0 indicantur: numeri arabici maiores ad eum foliorum ordinem, qui nunc est, arabici minores ad primitiuam paginarum, quae supersunt, seriem referendi sunt:

†I.	†II.	†III.	†IIII.
50 ‿ 57 1.2 15.16	4 ‿ 7 17.18 31.32	11 ‿ 16 33.34 47.48	84 ‿ 87 49.50 63.64
27 ‿ 32 3.4 13.14	65 ‿ 58 19.20 29.30	119 ‿ 114 35.36 45.46	31 ‿ 28 51.52 61.62
75 ‿ 80 5.6 11.12	29 ‿ 30 21.22 27.28	72 ‿ 67 37.38 43.44	117 ‿ 116 53.54 59.60
54 ‿ 53 7.8 9.10	109 ‿ 108 23.24 25.26	2 ‿ 9 39.40 41.42	63 ‿ 62 55.56 57.58
†V.	**VI.**	**†VII.**	**†VIII.**
35 ‿ 40 65.66 79.80	0 ‿ 59 93.94	19 ‿ 24 95.96 109.110	100 ‿ 101 111.112 125.126
102 ‿ 99 67.68 77.78	69 ‿ 70 81.82 91.92	6 ‿ 5 97.98 107.108	3 ‿ 8 113.114 123.124
85 ‿ 86 69.70 75.76	37 ‿ 38 83.84 89.90	12 ‿ 15 99.100 105.106	13 ‿ 14 115.116 121.122
95 ‿ 90 71.72 73.74	124 ‿ 123 85.86 87.88	22 ‿ 21 101.102 103.104	103 ‿ 98 117.118 119.120
IX.	**†X.**	**†XI.**	**†XII.**
0 ‿ 61 139.140	91 ‿ 94 141.142 155.156	25 ‿ 18 157.158 171.172	36 ‿ 39 173.174 187.188
76 ‿ 79 127.128 137.138	64 ‿ 60 143.144 153.154	115 ‿ 118 159.160 169.170	43 ‿ 48 175.176 185.186
106 ‿ 111 129.130 135.136	97 ‿ 104 145.146 151.152	10 ‿ 17 161.162 167.168	34 ‿ 41 177.178 183.184
121 ‿ 126 131.132 133.134	23 ‿ 20 147.148 149.150	33 ‿ 26 163.164 165.166	45 ‿ 46 179.180 181.182
†XIII.	**†XIIII.**	**XV.**	**†XVI.**
52 ‿ 55 189.190 201.202	51 ‿ 56 203.204 217.218	125 ‿ 122 219.220 233.234	Fragm. de praescr. et interd. 0 235.236
78 ‿ 77 191.192 199.200	66 ‿ 73 205.206 215.216	89 ‿ 82 221.222 231.232	49 ‿ 42 237.238 251.252
107 ‿ 110 193.194 197.198	44 ‿ 47 207.208 213.214	105 ‿ 112 223.224 229.230	92 ‿ 93 239.240 249.250
0 ‿ 96 195.196	71 ‿ 68 209.210 211.212	88 ‿ 83 225.226 227.228	120 ‿ 113 241.242 247.248
			81 ‿ 74 243.244 245.246

In XVI[i] fasciculi folio ultimo uix quidquam scriptum fuit: nam ne 42um quidem folium scriptura Gaiana expletur (conf. pag. 251).

Vbi terrarum codex scriptus sit, diuinari nequit, nisi quod Graecos non fuisse librarios constat. Tam rudes enim fuerunt graecarum litterarum, ut et 152, 8 et 165, 8 graeca omitterent, et haec orthographica effunderent: *greca* 17, 15; 152, 16; *cregam* pro *graecam* 152, 7; *gregi* pro *Graeci* 152, 9, *greco* 165, 7; *graeges* pro *graece* 125, 9; *pedagogum* 10, 3, *pelagogum* 4, 12; *scole* 63, 11, *sichole* 117, 1, *sole* 111, 8, *scolae* alibi pro *scholae*; *dihoniser·mei* pro *Dionis Hermaei*) 201, 20; *teatrum* 4, 21; *bytinorum* 51, 19; *syponiacis* pro *symphoniacis* 183, 11; *collirium* 72, 19; *istichum* 105, 12 et *isticum* 105, 23 pro *Stichum*; *sporade* pro σποράδην 17, 15.[a]

Singulae paginae sunt uersuum uicenorum quaternorum, qui recte dimensis spatiis inter se distant. In uersuum initiis librarii certos sibi terminos constituerunt, extra quos non egrederentur, nisi ubi paragraphi inciperent; in uersibus extremis litteratura non raro extra fines quasi immoderatius excurrens uagatur deflectitque aliquantulum de spatio constituto; quod ne nimis molestum esset legentium oculis, et imminutis litteris usi sunt et contignatis.

Contignantur igitur in uersibus extremis:

N´ = *ns* 121, 5; 150, 11.

N̄ = *nt* 3, 13; 6, 21; 13, 16; 19, 9; 51, 5, 23; 52, 18; 65, 9; 84, 5; 112, 8; 118, 22; 131, 13; 177, 3; 218, 23; conf. etiam 110, 3; in medio uersu supra lineam 4, 10 (a correctore).

UN = *un* 161, 21 (sub finem uersus).

UN̄ = *unt* 31, 14; 63, 7.

UR = *ur* 1, 20; 22, 1; 23, 13; 55, 19; 65, 20; 75, 16; 80, 20; 88, 5; 121, 13; 165, 22; 196, 24; 197, 6; 239, 12.

U´ = *us* 3, 23; 13, 8; 14, 16; 15, 19; 18, 4; 28, 17; 31, 8; 51, 15; 52, 17; 66, 20; 71, 21; 75, 6; 88, 2; 90, 4; 96, 6; 98, 12; 99, 17; 100, 15; 101, 1, 17, 18; 102, 7; 106, 3, 10; 124, 1; 129, 9; 131, 1, 11; 139, 21; 143, 9; 145, 16; 147, 20; 152, 19; 155, 22; 158, 21; 164, 10; 167, 21; 171, 23; 181, 22; 183, 7; 189, 10; 191, 1, 19; 195, 17; 200, 13; 207, 6; 209, 6; 213, 2, 13; 216, 24; 222, 13; 225, 18; 232, 9; 236, 22; 244, 15; 251, 1; conf. etiam 173, 2 (? sub uersus finem, teste Bluhmio); U tantum apparuit 19, 2?; 14, 19; 77, 9?; 204, 21; conf. etiam LEGIBU pro *legibus* 217, 8 in medio uersu.[b]

[a] Conf. etiam *chirografis* 163, 17—18.

[b] NI´ pro *nus* extat 218, 13 teste Goescheno; sed NU´ fuisse suspicor. — Aliquo modo huc referri potest 66, 17 correctio imperfecta.

Littera paginae ultima propter spatii angustias supra paenultimam collocata est 26, 24: similiter 156. 24 et 204, 24 binae ultimae, et 125. 24 tres ultimae sub initio uocabuli extremi.

In syllabarum diuisione in uniuersum posteriorem et graecanicam rationem secuntur librarii: conf.:

